



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Campanius qualis fuerit, n. 30.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

1581. Neque tamen inter hæc defuit summa consolatio, tum diuinitus communi-
cata, tum ab comitantium Catholicorum pietate accepta. In his enim Chri-
sti pugilum victorijs nusquam deficit Catholicis diligentia & firmitas, vltro
se audent ostendere; palam profitentur necis huiusmodi causam venerari se &
eos in summo pretio habere qui in tam præclaræ causæ defensione vitam &
sanguinem constanter profuderint; Accurrunt, alloquuntur, consilium auxi-
liumque supplices petunt, & si qua in re necesse sit ministrant; non metuunt
lictorum feroces vultus, non terrentur minis, non arcentur pudore, non ti-
ment vt nè conscij socijue aut laudatores proditorum audiant: Iam illa ca-
lumnia, quam qui intulerant nece corroborari oprabant, ante necem vniuersa
euauit; ipsi fatentur non conspirasse qui in morte eorum quos conspirasse
dixerant plausum hunc intuentur, nec reprehendunt. Ab arce ad locum sup-
plicij (quem Tyburnum nominant) via est bis mille passuum: Isthuc vt per-
uenere, in plaustrum primus *Campianus* sub ligno illo triangulari sublatu est,
colloque in laqueum immisso, cepit ad circumfulum vndequaq; populum
verba quasi de suggesto facere, illud Apostoli præfatus, *Spectaculum facti su-
mus Deo, Angelis, & hominibus*: Aliquoulsque sermone progressus, hæc in se
isto tempore docturus conuenire, iubetur ista prætermittere, Crimen de quo
damnatus agnoscere, veniam à Regina supplex petere. Tum ille, "Nullum in
me est, inquit, aduersus Reginam crimen, si ea quam profiteor Religio cri-
men non est: Hanc ego propagandam suscepi Sacerdos, huius sustinendæ cau-
sâ Angliam repetij; in hanc totus incubui; pro hac quandoquidem morien-
dum est libenter morior. Rationem intima prospicienti Deo reddituro, in
hac suprema vitæ hora, fidem haberi postulo, quæ si negatur, patienter vt fe-
ram necesse est, dies tamen verum tandem demonstrabit id quod de meo
hoc instituto nunc dico; nullius arcana inter confitendum tradita patefeci,
quod malè mihi quidam meæque Religioni iniquè volentes spargere: Vt Re-
ginam Regiolque Deus velit esse incolames supplex precor: Duodecim vris,
cæterisque qui in me inique egerunt ex animo condono iniuriam. Morior
Catholicus: Eos qui mecum de Religione consentiunt rogo vti Symbolum
Apostolorum vnâ, si videbitur, decurrant. Eo pronuntiato; dum apud se taci-
tè Deum aliquantisper orat, subducto in quo stabat curru, atque intercluso
premente teste, spiritu, animam innocentem Deo restituit cælestibus sedi-
bus inserendam. Corpus de more in partes dissectum, atque in constituta vr-
bis loca dispersitum est.

Campianus XXX. Hoc triumpho finem hîc viuendi fecit *Campianus*, cùm annos
qualis fue- ætatis vnum supra quadraginta, in Societate vt plurimum nouem comple-
rit. set; in hominum memoriâ æternum viuet. Vir à natura lauis, & ad omnem
Cambd- humanitatem factus, vitæ integerrimæ, modestus, humilis, mansuetus; in-
mus genio verò promptus, quod cùm omnium bonarum artium disciplinis ab
& *Pitzius.* incunte ætate excoluisset, Orator disertus, acutus Philolophus, Theologus
grauis euasit. Quantum scientiæ thesaurum collegerit (eius præsertim quæ ad

contro-

controversias cum huius temporis hæreticis pertinet) tanquam loquentes re-
 futes planum faciunt decem illæ rationes quas diximus Academicis redditas.
 Etenim cum illæ scriberentur nulla erat ei certa habitatio; modò in his modò
 in illis Catholicorum ædibus latitabat; procul Londino, procul à libris, pro-
 cul ab reliquo ad scribendum adiumento: Impleuit tamen non rationes ipsas
 solum modò summa & dictionis & argumenti accuratione, sed & Chartæ
 margines omnes plurimorum scriptorum adnotatis auctoritatibus; Quæ
 cum ex *Personij* sententia ad fontes originelque exigentur, repertæ sunt sin-
 gularè congruere libro, capiti, membroque adscripro; vt mirum sit potuisse
 hominem alijs nunc curis implicitum, tam varia tamque dissita Patrum hæ-
 reticorum que dicta complecti memoriâ, aut sine errore reddere. Virtutem
 verò quàm altè imbiberit, & quàm magno eius in se conseruandæ, augendæ-
 que, in alios propagandæ ardore flagrauerit, & omnis eius vita testis est, &
 pauca, quæ lucem alpehere, Epistolæ fidem amplam faciunt. Nouitios Brunæ
 agentes, (vbi ante annos aliquot posuerat ipse tyrocinium) sic alloquitur: *Epistola 6.*
 "Scio quanta sit libertas in obedientia, quanta iucunditas in labore, quanta in
 oratione delicia, quanta in humilitate dignitas, quanta in conflictatione pax,
 quanta nobilitas in patientia, quanta in infirmitate perfectio; sed has virtutes
 in vltum & actionem reducere, hoc opus est, & hoc vestrum est, qui gloriosiss
 curriculis Paradisi quædam spatia conficitis in terris: Ego, vt ille dicit, quâ
 potero lequor, non passibus æquis. Omnino Fratres mei, vita nobis ac vobis
 non sufficit, quâ Christo gratias agamus, qui tanta nobis mysteria patefecit.
 Quis nostrum credidisset, nisi ab illo vocatus in hanc scholam & institutus
 fuisset, tot spinas, tot faces, tot milerias, tot tragædias in hoc mundo sub
 falsis nominibus bonorum ac voluptatum delitescere? vna vestra diecula
 dignior est illorum ætate vniuersa. Currite quò cæpistis, & diuinam erga vos
 bonitatem, vestræ conditionis dignitatem, recognoscite &c. *Gregorium*
 verò *Martinum* veterem amicum adhortans, "Roma, inquit, fruerè: viden' *Epistola 6.*
 illius vrbis Cadauera? Quid potest esse gloriosum in vita, si tantæ opes, tan-
 tum decus etiauit? At, qui in hac miserabili varietate temporum durarunt?
 Quæ? Reliquiæ ditiorum; Et Cathedra Piscatoris: O, Prædian i Cur Cæ-
 lum negligitur præ terrena gloria, cum cernamus oculis terrarum Principes
 ne in terris quidem hæc monumenta vanitatis & stultitiæ trophæa conserua-
 se? Ille fumus quantulus apparebit in æthere si dissipatus est in aère; quo-
 modo videbitur ab Angelis, si ab hominibus despectus est &c.) Et *Epistola*
Octaua ad eundem: "Valde te amo de martyrio *Cuthberti*, vel amamus potius; *Epistola 8.*
 multis enim illa narratio diuinam attulit voluptatē: Me miserum! Quem ille
 nouitius tam longè à tergo reliquerit: sit propitius amico veteri & Præceptori;
 horum enim nominum gloriola perfruat nunc ambitiosius quàm vnquam
 antea.) Quid quod Eliottum tum benevolentissimè acceperit, cum (necis *Eiusque*
 atrocitate immanitatem sceleris quo innoxium prodiderat aperiente) *Campi-* *erga Eliot-*
anum post dictam mortis sententiam in Arce conueniens, impij facinoris *tum cari-*
 veniam *tas.*

1581. veniam deprecaretur, diceretque nunquam sibi in mentem venisse perduellionis, aut rei cuiusvis capitalis accusandum; moturum certè nihil fuisse si vltra vincula vim processuram diuinasset. Cui amantissimè *Campianus*: "Admissi ergo sceleris apud lachrymis exorabilem Dei bonitatem, te oro pœniteat, Eliotte; id sifacies, Deigloriæ seruiet quidquid hætenus factum est, aut deinceps fiet.) Cùm verò proditor (hominum iras præ Dei in sceleratos vindicta habens præ oculis) metuere se diceret, ne Catholici, mali quidpiam aduersum se machinarentur." Nihil est, inquit, cur isthoc vereare; nam neque ea Catholicis mens est, sat scio, & ego si me audis periculum omne præstabo; nam meis literis munitus proficisceris in Germaniam ad magni nominis & fidei virum, cuius patrocinio securam, si voles, vitam deges.) Et Eliottus quidem, quem propriùs charitatis illa flamma petebat, nil vltra confusæ signa mentis ostendit, vanâ (Iudæ exemplo) contentus vmbra pœnitentiæ. At Atrienfi (quo annuente aditus ad *Campianum* proditori patuerat) his Cœlestis Charitatis facibus illustrato persuasum est, Deum ab ijs stare qui tam amicâ vindictâ grauissimas vlciscerentur iniurias, & illis qui omnibus panis multandi essent, viam vniuersas euadendi tam beneuolè aperirent. Et hic fortè erat carceris *Campiani* in turri Londinensi ille Custos qui Anno octogesimo tertio memoratur Romam ad Anglicanum venisse studiorum causa meliorum.

Quales sint
Sacerdoti
in Anglia
conspira-
tiones.

XXXI. Non sunt hi ignes ad proditiones seditioneluc inflammandas concepti, accensi, enutriti, aliis ex fontibus hauriuntur quàm quos per Germaniam Galliamque sparserunt his temporibus hæretici: Non spectant illi ciuitatum expilationes, Regionum templorumque spolia, qui vt nudum Christum terrenis omnibus nudi sequantur rebuste omnibus expoliare. Occinant heterodoxi conspirationes quantum volent, atque vt in inuidiam vocent Catholicos Sacerdotes, harum istos vociferentur transactores esse atque administratos. Quod genus id omne sit Conspirationum quod agitant Sacerdotes in conspicuo omnibus est; ad animos ex hæresum tenebris eripiendos conspirant: vt doctrinæ consensionem inde ab Apostolis diriuatam, atque ad nos vsque traductam Sanctam illibatamque tueantur, conspirant: Medijs confuetis probatisque Sacramentorum conspirant: mortem alijs non machinantur, sed sibi optant potius quàm vt ceteri in æternum pereant. Illi neque in calumnia, quam vigere per omnia volunt, tam constantes esse possunt, vt non fateantur calumniam esse quam pro veritate obstinatissimè venditant. Et certè (inquit Cambdenus cum de conspirationibus loquitur Catholicis Elizabetha viuente impositis) *ad explorandos hominum animos, subdole artes fuerunt adhibita; literæ e mentis sub profugorum nominibus sulmissæ, & in Pontificiorum adibus relicte; Emisarij ubique ad colligendos rumores, & verba captanda dispersi & vana deferentes admissi &c.* Quid his artibus obtinentibus tutum? Quid à calumnia liberum esse potuit vt meritò *Campianus* exceperit (cùm de schedis accusaretur repertis in ædibus ad quas ipse

Cambdenus
Ao. 27.
Elizabetha